Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1191
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 30. Excerpta ex *Richardi de S. Victore Libris de Trinitate.* Initium: *Rerum noticiam ni fallor modo triplici apprehendimus* &c.

III. *fol.* 35. p. 2. Excerpta ſimilia ex *Libris Auguſtini de civitate Dei.* Initium: *Terrena ciuitas. que cum dominari appetit. ipſa ei dominandi libido dominatur* &c.

IV. *fol.* 39. p. 2. Excerpta ſimilia ex *Joh. Caſſiani VII. libris contra Neſtorium.* Initium: *Magnus honor. ſed periculoſa progreſſio* &c.

V. *fol.* 41. Excerpta ex *Anſelmi* Libris *de Veritate, de Caſu Diaboli* et *cur Deus Homo.* Initium: *Quoniam quidem deum ueritatem eſſe credimus* &c.

VI. *fol.* 47. in ora ſumma: *Liber magiſtri alexandri de farewell. ad magiſtrum magnum Alexandrum nequam* (Nechamum, Neckham) *de motu cordis.* Praefatio ſic infit: *Anima eo ſolo phiſice inquiſitionis ſpeculationem admiſit. quod corpori unita eſt. Corporata enim quedam ſui indicia ſenſibus offerens ſibi ſeipſam inueſtigandi curam iniecit.* Et poſtquam de Corporis et Animae nexu ulterius egregie philoſophatus eſſet, proſequitur: *Huius ergo* (Animae) *primum et precipuum organum* (cor) *cum eiusdem virtutibus et operacionibus. noſtris adhuc ignotum intemptatumque philoſophis declarare inſtitui. tuoque opus ipſum examini maxime alexander offerendum rectiſſime cenſui. cum te et argute iudicandi de ſingulis diſcretionem prouidam. et errata corrigendi ſcientiam integram. et ad utrumque exſequendum pronam benignitatem habere non ambigam. Neque te preter equum aut indebite magnum alexandrum dici exiſtimes. Si enim ueſanus ille macedo cui ut ait Seneca pro uirtute erat felix temeritas ob promptiſſimam corporis ſtrenuitatem hoc cognomen accepit. quanto te illo inſigniorem equius eſt. qui ob ſingularem animi frugem. que quidem omnes corporis dotes longe ſupergreditur. nec modo ſupereminentem. verum ex equo contendentem neſcis admittere. Quantum ille armorum gloria contemporaneos ſuos ſupergreſſus eſt. tantum tu omnibus animi et ingenii fulgore preſtitiſti. Vale ergo et opuſculum hoc quantique eſt. ut tuum amplectere. et in lucem ſi ita tibi uidetur prouehe. cum ipſum laborem tuo potiſſimum inſtinctu. ſi meminiſti aggreſſus ſim. Iterum et in eternum vale.* Opuſculum jam ipſum *Capp.* XVI. conſtat, quorum *Lemmata* adſcribam: I. *Quod vita ſit primus effectus anime in Corpore. II. Quod certum habeat in corde vita domicilium. III. Quod cor ſit domicilium vite. IV. De poſitione cordis. V. De inſtrumentis motus cordis. VI. Qualiter fiat motus cordis. VII. De cauſis motus. VIII. Quod motus cordis ſit principium omnium aliorum motuum. IX. De ſpecie motus cordis. X. De ſpiritu. XI. Quod ſpiritus uite non motu. ſed fit irradiacione uirtutis. XII. Quod ſpiritus uite a principio concepcionis*

ineſt